

CENSURÆ

*A Rev^{mo} & Cels^{mo} Episcopo & Principe Spirensi
in Epistolam germanicam (supra pag. 129
positam), ejus authorem & fautores lata.*

**NOS AUGUSTUS DEI
GRATIA EPISCOPUS SPIRENSIS,
ECCLESIAE PRINCIPALIS WEISSEN-
BURGENSIS PRÆPOSITUS, S. R. I.
PRINCEPS, COMES DE LIMBURG
STIRUM &c. &c.**

EA numquam non fuit quorundam agendi ratio, quem-
admodum plurium jamdum, nostri autem præcipue seculi
experientia comprobatur, ut dum veritatis hostes aperta
fronte eam impugnare non auderent, tenebricosis id lar-
vatisque & sine nomine, loco aut saltem venia profusis in
lucem scriptis efficere conarentur. Saluberrime proin dudum
tum ab Ecclesiastica, tum Seculari potestate ad reprimen-
dam ejusmodi audaciam constitutum fuit, nequid nisi
approbatione prævia pro materiarum diversitate munitum